

H. C. Schütz.

Programma.

Wernigeroda
1765.

1978

M

435
(8)

Yb.
262.

00
Rr



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



DE
PAEDANTISMO,
IUVVENTUTIS MAGISTRIS
VEL PERPERAM VEL RECTE IMPACTO
DISSERIT

ET AD
AUSPICATISSIMUM NATALEM
EUMQUE SEPTUAGESIMUM QUINTUM
CELSISSIMI COMITIS AC DOMINI
DOMINI
CHRISTIANI ERNESTI,
SACRI ROMANI IMPERII COMITIS,
COMITIS STOLBERGAE, KOENIGSTEINII,
ROCHEFORTI, VVERNIGERODAE ET HOHNSTEINII,
DYNASTAE EPSTEINII, MVNZENBERGAE, BREV-
BERGAE, AIGMONTII, LOHRAE ET CLETTENBERGAE,
EQUITIS MAGNI ORDINIS BORUSSICI AB AQUILA NIGRA NUNCUPATI CET.
COMITIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI
DIE XXVI APRILIS MDCCCLXV AB HORA NONA MATUTINA
IN VVERNIGERODANO ARTIUM COLLEGIO
PUBLICIS DECLAMATIONIBUS SOLENNITER DEVOTEQUE CELEBRANDUM
INVITAT

HENRICVS CAROLVS SCHÜTZE,
DIRECTOR ET SOCIETATUM TEUTONICARUM, HELMSTADIENSIS
ET ERLANGENSIS MEMBRUM HONORARIUM

Wernigerodae, excerpfit literis Ioh. Georg Struck, typog. aul.






Kapsel 78 M 435 [8]


AK



uae rerum humanarum, ubi mala semper sunt mixta bonis, est conditio, quilibet sexus, quae- libet gens, quodlibet vitae genus habet sua com- moda, habet et sua taedia. Laudes suas habet, habet et fu- os naevos. In his expellendis auertendisque; in illis pro- mouendis augendisque sapientes operam nauant suam at- que studium. Insipientes vero ad suos naevos caligant, nec noscere eos volunt; sed aliorum vitia lynceis oculis contemplantur eaque multiplicant. Contior pulchrior- que sexus virorum reprehendit pertinaciam sensuum, viri mulierum culpant mobilitatem.

Galli Teutones adpellant bibaces; Teutones Gallorum carpunt vitam voluptuosam. Itali Hispanorum vituperant superbiam; Hispani Italarum zelotypiam ac vindictae cu- piditatem.

Pauper sui profusus, alieni appetens crepat saepe auaritiam diuitis; diues pauperem incusat prodigi vitae generis




generis; fordidam suam auaritiam aut negat, aut defendit. Non raro ii, qui in dirimendis ciuium litibus operam suam locant, quorundam diuinae mentis interpretum taxant pecuniae auiditatem; hi illis iniustitiam obiectant. Artis salutaris peritis quibusdam, praeter alios errores, quos terra tegit, negligentia in sanandis aegrotis obiicitur saepiuscule.

Multis philosophis, philologis ac magistris inferiorum scholarum a permultis etiam doctis et pecunioso munere superbientibus, a semidoctis ac illiteratis paedantismi vitium exprobratur quotidie. Quo iure, quaeue iniuria iam dispiciendum est breuiter.

§. 2.

Perperam ac peruersè agitur, si quis vocabulo quodam in sermone suo utitur, cuius significationem non intelligit. Hoc autem accidit circa hanc vocem saepissime. Quidam itaque peccant per imprudentiam, quidam per malitiam. Vocabulum paedantismus nec graecum, nec latinum, nec, si accurate consideraueris, gallicum est; sed superiori saeculo recens subnatum. Conficto enim et composito nouo vitio nouo opus erat vocabulo. Si quispiam interpretationem germanicam huius vocabuli desiderauerit, factores factoresque nominis duplicis huius vitii germanice illud reddunt *Schulfüchseri*. Obscurum per aequè obscurum dilucidare volunt: verbi enim germanici aequè minus ac latini significationem intelligunt. Qui solis hominibus



minibus de schola paedantismum proprium facere student, vocabulum a graeco παις, παιδός, puer derivant. Hoc, nisi unicum tamen praecipuum est fundamentum, ex quo eos, qui iuventutis studia moderantur, huius vitii macula adspargere conantur. Ipsa enim voce innuere volunt omnes paedagogos hac animi labe infectos esse.

Sunt vero quidam, qui adfirmare nituntur, vocem paedantismus descendere a *Pedano*, quem dicunt saeculi decimi quinti Grammaticum fuisse, et eo vitio, quod nostro tempore paedantismus vocatur, grauiter laborasse. Sed ubi vixerit ille *Pedanus* cum reliquis eius circumstantiis, referre et definire nequeunt. Ex ea tamen ratione vocem per E simplex scribunt.


§. 3.

Quomodocunque haec se habeant, non de vocabulo; sed de eius significato, de re ipsa disputamus. Definitionem ab iis, qui plurimum de hoc vitio loquuntur, idque infontibus viris, qui maxime ab hoc vitio alieni sunt, imputant, desiderabis fortasse frustra. Ipsi ideam claram distinctam, completam et adaequatam sibi non formarunt, idcirco nec aliis dare possunt. Magnum illud litterati Belgii decus iureconsultissimus *Vlricus Huberus* [a], qui primus

A 3


de

[a] In oratione de paedantismo, Franeckeræ, cum fascès academicos deponeret, habita. Adiuncta est haec oratio Edmundi Richerii obitrici animorum et Chr. Thomasi philosophiae aulicae.



de hoc argumento data opera differuit, fastus est, se totum genus causae ignorare, et difficile esse hoc vitium eiusque dubiam naturam definire. Ex mente tamen laudatissimi viri paedantismus denotat *doctrinam fastu, virtute ficta ineptoque iudicio corruptam*. Alii modo superbiam quamdam cum neglectu decori hic in censum venire aiunt. Alii dicunt malo hoc esse adfectum, qui superbo fastu turgidus, doctrinaeque suae opinione inflatus ceteros contemnit, vel, qui viuendi et morum rationem sequitur talem, quae a ciuili vita ac more eiusque genio est alienior, qualem in Diogene Cynico observare volunt eruditi. Sunt, qui paedantiam vocant illum, qui eruditionem suam in ciuili vita venditat atque ostentat alieno loco. Secundum quosdam paedantismus est, quando altercatio de rebus criticis minimi momenti eruditos quosdam occupat, ex quorum labore nil commodi in rem publicam adfertur. Alii omnem mentis prauitatem, qua quis litteratus infectus est et qua irrisioni ac ludibrio aliorum exponitur, paedantismum vocant. Splendidum quondam academiae Helmstadiensis lumen, *Iustus Christoph. Boehmer*, paedantismum esse ait [b]: *Quando quis inepta et insulsa eruditione tumet, aut si vera quadam et utili eruditione est ornatus, eam ridiculo viuendi agendique modo dedecorat*. Tanta est peruersitas mortalium quorundam, vt omnem ineptiendi libidinem, qui in hoc vel illo litterato occurrit, paedantismum adpellent. Vsq̄ue
eo


[b] In prolusionum suarum quarta, typis excusarum Helmstadii MDCCXIX.



eo denique progressa est bruta iniquitas quorumdam hominum, ut, uti *Huberus* testatur, omne genus doctrinae artesque studiorum per contemptum hac ipsa paedantismi adpellatione traducant. Si illiterati homines magnos spiritus sibi sumunt, superbi vocantur. Si iidem decorum negligunt, inuerecundi dicuntur. Cur inter litteratos peculiari vocabulo uti debebamus? scilicet in composito vitio vel potius conuicio singulari titulo opus erat. Ex varietate opinionum et definitionum conicere possumus, quo fundamento nitatur res ipsa. Duas priores definitiones tamen eligamus. Duas illae constituunt partes vitii factum et virtutem inepto iudicio correptam, ex qua deinde sequitur neglectus decori.

§. 4.

Quia duplex est hoc vitium, amplissimum etiam habet ambitum. Nullum est vitae genus, in quo desint eiusmodi homines quidam, qui multa agunt superbe, imprudenter et indecore. Etiam inter illos, qui in splendida aulae et publica vitae ciuilibus luce viuunt, existunt quidam, qui non semper agunt prudenter, comiter et venuste. Sanctioris doctrinae cultores et antistites in quaestionibus ad fundamentum fidei non necessariis saepe ob unicum verbum se damnant inuicem. Paedantissimum certe ex parte redolet, quando quis pontificali in disceptandis controuersis theologicis utitur auctoritate, quando orator ex suggestu sacro




facro recitat, memorat et enumerat obsoletos haereticos Pe-
puzianos, Priscillianistas aliosque doctrinae sacrae aduer-
sarios.

Non minus paedantismum sapit, si praeco ecclesiasti-
cus orationi suae multa verba latina, graeca, hebraica ter-
minosque metaphysicos immiscet magnificeque pronun-
tiat. (c) Ex mente Huberi caussarum patroni et iureconfu-
l- ti paedantismi reos se faciunt, quando in scriptis suis le-
ges latinas, et doctorum sententias, vbi nihil opus est, cu-
mulate citant allegantque, quando in deductionibus suis
lingua germanica conscriptis gallica et latina vocabula per-
petim admiscunt. Suspectos huius vitii se reddunt meden-
di artis periti, cum ad lectulum aegroti sedentes de reme-
diis suis mirificis, de panchrestis, de polychrestis, de diu-
reticis, de traumaticis et aliis specificis, immo de tota ma-
teria medica secundum terminos artis loquuntur, de quibus
neque aegrotus, neque praesentes cognati eius aliquid in-
telligunt.

Adeo in re militari occurrunt quaedam, quae ab aliis
inter inutilia, certe minus necessaria, referri possent. (d) Sed
neque

(c) Ex instituto hoc argumentum tractauit facundissimus antehac Qued-
linburgensium orator Henr. Meene in libro peculiari s. t. *Chara-
cter eines pedantischen Gottesgelehrten*, Lips. M DCCXLVII.

(d) Monuit quaedem in hanc rem anonymus quidam in schediasmate
suae epistola ad generosissimum de Lehener militiae praepositum per-




neque sacrae, neque themidos, neque medendi artis cultores ac interpretes paedantissimi solent infimulari magnopere; sed philologi, grammatici et iuuentutis doctores plerique. Supra laudatus Huberus iam de hac iniuria conqueflus est. *Ego vero, ait, nec ipsos inferiorum scholarum magistros per contemptum ullo modo paedantas appellari patior. Ecquid enim malum meriti sunt homines utilissimam societati humanae operam incredibili cum labore nauantes, ut contumeliae et insectandi causa fas sit eos nominari.* Puritatem linguarum et canones grammaticos custodiunt, ac tenellos docent et ab aliis obseruari curant. Hoc nisi fieret, eiusmodi oriretur barbaries, qualis ante restaurationem litterarum in republica christiana grassata est. Laborant non tantum, ne iuuenes latinas conscribant tales litteras, quales in epistolis obscurorum virorum repraesentauit *Vlricus ab Hutten*; sed etiam in stilo germanico pure dicendi ac scribendi facultatem illos docent.

Velificari deberent aequi rerum arbitri commodis fidelium praeceptorum; quia negotium exsequuntur non adeo iucundum minusque pecuniosum. Sed hoc saepissime praetermittitur non modo ab illiteratis; sed etiam ab iis hominibus, qui sua culpa debitum fructum e schola non reportauerunt; sed primis modo labris bellas degustarunt artes.

per scripta et typis excusa Rintelii MDCCL. f. t. *Die pedanterey im Kriege.*

B



tes. Pristinorum praeceptores, qui ipsos propter malitiam, petulantiam procacem aut propter turpem negligentiam acriter antea reprehendere per officii rationem debuerunt, non modo nullo numero habent; nec eis habent gratias; sed plagofos illos nominant putidosque paedantas.


Ex horum numero sinceros ac diligentes scholae doctores eximit et eripit non tantum Huberus iusti et aequi tenacissimus; sed etiam celebratissimus olim iureconsultus Christ. Thomafius. (e) *Improprie, ait, pro paedantibus habentur ab hominibus indoctis 1. omnes docti 2. principes eruditione excellentes 3. Doctores et magistri honestarum artium 4. Soli philosophi, aut 5. philologi, vel 6. Scholarum inferiorum magistri.*

Non raro etiam docti; sed superbi et liuidi ac maligni ingeniorum aestimatores Scholarum moderatoribus fine discrimine paedantissimum tribuunt. Tum autem *Diogenes fastum Platonis maiori fastu calcat.*

§. 5.

Primum vitii momentum, in quo perquirendo occupati sumus, constituitur fastus. Si quispiam solide doctus in congressu communi, in conuiujs versus graecos et latinos, multas sententias ac apophthegmata tamquam flosculos inspergit in sermone ac saepenumero recitat et quidem ostentationis gratia, in suspitionem paedantissimi omnino incurrit.

(e) In introductione ad philosophiam aulicam cap. XVI. §. V.



rit. Quum vero praeceptor scholasticus in conuersatione, et in conuictu prouerbia latina, versus sententiosos graecos et latinos sermoni suo germanico saepiuscule admiscet, non illico paedantismi fit reus. Duo cum faciunt idem, non est idem. Ille data opera et quidem iactationis causa id facit; hic vero ex pura ac pura consuetudine, quae in communi verbo altera natura dicitur, agit. De ventis nauta, de tauris agricola, de vulneribus miles libentissime loquitur.


Sub initium primae institutionis discipulum oportet credere; docentem vero oportet autoritate instructum esse. Hac enim deficiente miserrima est docentis vitae conditio. Quia paedagogus magna dignatione conspicuus non est, neque signo aliquo venerationis gaudet externo: omni cura efficere debet, ut et scientia et virtute et amore antecellat discipulos, idque demonstrat et hac ratione auctoritatem sibi conciliet. Hoc dum agit sedulo, facillime superbiae suspectus fieri potest.

Accedit et alia causa, cur paedagogis fastus tribuitur. Infimo in pluribus ciuitatibus sunt loco et ordine. Adseueranter et pro more suo eleganter summe venerabilis olim Christophorus liberi ac imperialis coenobii Luccensis Abbas hanc in rem dicit: (f) *Debebant ciuitatum rectores ma-*

B 2

lo


(f) In prima prolusionum acadenicarum typis excusarum Helmstadii
cl. 1619.



lo huic obuiam ire, ne incrementa capiat: atque, ut adolescentiae formandae fingendaeque se mancipare periti harum rerum arbitri velint, et in his occupationibus aetatem consumere debebant illis maiora salaria, stipendia maiora decernere et honoratiorem inter alios in republica locum. Hoc uno, si quid iudico, effici posset, ut scholis inferioribus, in quarum prudenti administratione maxima sunt momenta, rectius consulatur.

A semidoctis, illiteratis immo ab inficeta plebe, quae ipsorum studia ac labores non perspicit, nec aestimat, despiciuntur. Despectus parit dolorem. Contentio efficit contentionem perveniendi ad aliquem vel maiorem honoris gradum. Dum multi summis viribus nituntur, ut ex pulvere et paedore scholastico extrahantur, penitus et ad munus magis quaestuosum promoveantur propediem: facillime ad alterum extremum nimium inclinant, aut saltem superbiae suspectos se reddunt. In vetitum nituntur negataque cupiunt.

Si ofores quidam doctorum scholasticorum ad paedantismum, quem ipsi commenti sunt, referunt studium diiudicandi et perquirendi res vilioris momenti, quaestiones inutiles instituendi, distinguendique libidinem, confundunt et commiscent saepe hodiernos praeceptores scholasticos cum monachis scholasticis in saeculo barbaro peculiariter sic dictis. Horum quisquillas, apinas, tricas ineptasque disputationes, quas germanice vocant *Schulgezäncke*, tribuunt illis et toti ordini scholastico, Silentio non praetermittendum




mittendum est cordatos et doctrina excellentes viros, quando de fastu scholastico scribunt ac loquuntur, discipulorum et auditorum in scholis ac gymnasiis classicis plerumque et potissimum intelligere ambitionem. Si puer aut adolescens in superiorem vel denique in primam classem translocatur, mirum est, quantos sibiumat spiritus. Doctrina se excellere putat et ranae Aesopicae instar intumescit. Hanc discipulorum arrogantiam in scholis maxime obviam multi subdole tribuunt docentibus.

§. 6.

Ad alterum paedantismi momentum progredimur neglectum nempe decori. Decorum est species honesti, quod in sensus externos incurrit. Honestum virtuti non est aduersum, decorum sensus hominum non offendit. Varium est decorum pro diuersitate temporis, loci et gentium. Vir prudens illud obseruat in gestu, in gressu, in victu et amictu, in sermone et labore. Qui in erudienda iuuentute desudant perpetuo, et mox negligentiam, mox petulantiam, mox malitiam, mox contumaciam et reliquam vitiorum cateruam quotidie reprehendere, punire et impedire debent, idque vultu minime hilari semper agunt facile aliquid morosi ac austeri, immo propter spissitudinem sanguinis, subtristis aliquid adsciscunt. Ad vestitum quod adinet, non semper comiti ac nitido vestimento incedere per muneris opumue rationem possunt. Pullo pallio et atra ve-






ste in plurimis locis tegere se tenentur fortassis, ut lugeant deesse Maecenates. Nec paedantissimi statim insimulari debent, si forte noua vestimentorum genera non inter primos imitantur, si non ita concinni in sermone, iucundi semper in conuersatione, elegantes et politii in conuiuuiis apparent.

§. 7.

His omnibus ita se habentibus diffiteri tamen nequeo, dari omnino in republica litteraria eiusmodi homines infulsos, qui se solos sapere, se solos prudentia excellere arbitrentur. Sunt, qui doctrinae opinione inflati asperitatem morum et rusticitatem exercent vehementissime. Sed fallit eos opinio. Non adeo docti sunt, quales videntur. Qui bellas artes fideliter didicit, qui solide doctus est et ad veram sapientiam peruenit, non est feris moribus. Sunt, qui in scriptis, in conuersatione et conuiuuiis eruditionem suam ostentant. Sunt, qui ita se litteris abdiderunt, vt parum vel nihil ad communem vtilitatem adferant. Sunt, qui ita viuunt, vt decori nullam habeant rationem. Sunt, qui litteris leuiter tincti Palaemoni tamen similes sunt, natas, qui secum putabat et morituras litteras. Sunt denique, qui de rebus minimi momenti altercationes instituunt grauissimas, quid vtile, quid venustum sit negligentes. Exempla quidem eiusmodi hominum, in quibus omnes paedantissimi characteres notaeque simul occurrunt, sunt non vbiuis




vbiuis obuia. Dantur tamen, qui ea prauitate mentis infecti sunt vt memorati vitii optimo iure argui possint ac debeant.

§. 8.


Nec in artium officinis defunt eius generis viri, qui inepto fastu ridiculos se faciunt. Concipitur facile animo inanis superbia, cum iuuentutis doctor obseruat omnes, quos docet, doctrina inferiores esse ac fitire dogmata ipsius auide. Scientia tunc animum inflat. Crescit et gliscit superbia, quando a discipulis et auditoribus adulandi caussa blandis et inuidendis elogiis oneratur. Quae optamus, facile credimus. Credit igitur se talem esse, qualis ab adulatoribus praedicatur. Spernit nunc alios, spernit et laboris socios munerisque consortes tamquam se longe inferiores, Nemo se sperni facile patitur. Oriuntur hinc iurgia, diffidia et contentiones grauissimae de rebus saepe minoris momenti. Consortia, consuetudinem cum aliis, dixerim fere lucem fugit umbraticola, et in conuiuia rarissime adhibetur. Morum igitur venustatem, vitaeque elegantiam nescit, nec intelligere vult, nec discere potest.

In collegio eorum, qui ciuili munere funguntur, non raro oriuntur similtates, et discordiarum semina sparguntur; sed hi apud alios tegunt plerumque et dissimulant, si quid dissidii est subortum et quoties per officii rationem conueniunt, alter alterum comiter excipit ac honorifice.

Illi



Illi vero difficiles et inuenusti homines quauis data occasione effutiunt, quicquid discordiarum est subnatum, Non mirandum est proinde, si alii nec ipsum garrulum inuenustum, nec eius socios laboris non adeo magni faciunt. Maior est calamitas, cum auditores et discipuli discordiam inter praeceptores grassantem animaduertunt. Pessime agitur, si alii, quando hanc labem paedagogo in minori gradu adhaerentem obseruant, verbis exaggerant et per omnem occasionem diuulgant. Non raro parentes discipulorum inter prandendum praeceptorem tamquam insulsum et abiectum grammaticum perstringunt, eius instituta, dicta et facta omnia putidi paedantismi nomine culpant. Vocabula tunc *Schulfuchs*, *Schulmonarch*, *Schulmaior*, *Schulpedante* et alia audiuntur saepissime. Tirones, qui verum a falso, fucatum a sincero dignoscere nequeunt, fidem temere habent parenti, et quando minimum decori neglectum in docente obseruant, tamquam sordidum, incultum et absurdissimum hominem spernunt. Quia etiam naeuos artificum ipsi arti imputant, bonas artes spernunt et negligenter tractant. Solidiores doctrinas *Schulgelehrsamkeit*, *Schulgrillen*, *Schulwitz*, *Schulpossen*, *Schulpedanterie*, *Schuloratorie*, *Schulfüchseriey* nuncupant. Sordent illi omnia, quae scholam redolent. Quae damna in rempublicam ciuilem et litterariam exinde proueniant, norunt, vel me non mouente, prudentiores omnes.



§. 9.

Efficiat prouidentissimum Dei numen, vt diuinae humanaeque artes, ingens diuinae gratiae pignus, laetiora in dies capiant incrementa, vt heic et alibi semper sint, vigeant florentque cultioris ingenii, probi prudentesque viri, qui in erudienda iuuentute curam studiumque suum collocent, et abiecto vanae celebritatis studio Dei gloriam et iuuentutis salutem quaerant perpetuo.


§. 10.

Praefari haec non alienum fore duxi, cum scriptura quadem beniuolentia et auditorum frequentia concilianda est nonnullis eruditae humanitatis cultoribus, quorum tres tum aetate, tum ingenio, tum doctrina florentissimi bonis votis faustisque omnibus ad academiam ablegandi sunt, exedram oratoriam conscensuris. Cum etiam iterum *natale festum celsissimi Comitis ac Domini nostri* in artium collegio nostro celebrandum est, deuotionem suam et profectuum rationem declaraturi sunt. Haec erit series perorantium.

- I. Ioannes Carolus Bodinus, *Wernigerodanus*,
carmen eucharisticum in genere sapphico Deo canet profelicit
conseruata vita Comitis ac Domini nostri clementissimi.
- II. Godofredus Ernestus Andreas Müller, *Af-*
caniensis, de *libertate* perorabit.

C

III. Chri-



- III. Christianus Henricus Gottlieb Rohde,
Mega-oernera-Mansfeldensis, de sanitate differet
latine.
- IV. Jo. Christianus Philippus Lisenberg, *Wern.*
Jo. Carolus David Preuser, *Wernigerod.*
Joannes Andr. Julius Dierberg, *Nostras.*
Ge. Wilh. Bruel, *Rellehusa - Calenbergensis*,
disquirent, an Adamus agrum arare fimoque saturare ne-
cesse habuerit, et quomodo hodierna sterco ratio agrorum per-
agatur.
- V. Jo. Georg Lohmann, *Quedlinburgensis*
perquirat, quanam pessimi sint in mundo homines.
- VI. Jo. Frid. Wilhelm Wegener, *Hüttenroda*
Blanckenburgensis.
Jo. Christianus Hofmann, *Wernigerodanus* et
Christianus Ludouic. Pohl, *Seelento-Holsatus.*
quaerent inter se, an lapides crescant.
- VII. Joannes Christoph. Borchert, *Wernig.*
de hominibus mala aliorum ludificantibus, vulgo von Schaden-
frohen Leuten.
- VIII. Fridericus Ludolphus Bernhardus Bruel,
Rellehusa - Calenbergensis, exponet querimonias
otiosorum hominum de longinquitate temporis.
- IX. Go-





X 2313003

Kapsel 78 M 4 35 [8]

324





Farbkarte #13

B.I.G.

DE
PAEDANTISMO,
IVVENTUTIS MAGISTRIS
VEL PERPERAM VEL RECTE IMPACTO
DISSERIT

ET AD
AUSPICATISSIMUM NATALEM
EUMQUE SEPTUAGESIMUM QUINTUM
CELSISSIMI COMITIS AC DOMINI
DOMINI
CHRISTIANI ERNESTI,
SACRI ROMANI IMPERII COMITIS,
COMITIS STOLBERGAE, KOENIGSTEINII,
ROCHEFORTI, VVERNIGERODAE ET HOHNSTEINII,
DYNASTAE EPSTEINII, MVNZENBERGAE, BREV-
BERGAE, AIGMONTII, LOHRAE ET CLETTENBERGAE,
EQUITIS MAGNI ORDINIS BORUSSICI AB AQUILA NIGRA NUNCUPATI CEC.
COMITIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI
DIE XXVI APRILIS MD CC LXV AB HORA NONA MATUTINA
IN VVERNIGERODANO ARTIUM COLLEGIO
PUBLICIS DECLAMATIONIBUS SOLENNITER DEVOTEQUE CELEBRANDUM
INVITAT

HENRICVS CAROLVS SCHÜTZE,
DIRECTOR ET SOCIETATUM TEUTONICARUM, HELMSTADIENSIS
ET ERLANGENSIS MEMBRUM HONORARIUM

Wernigerodae, exscripsit literis Ioh. Georg Struck, typog. aul.

